

## † R. P. Zenovius Kowalyk (1903-1941)

(Vice-Prov. Leopolitanae)

In novo Catalogo, p. 946, medius inter tres defunctos Vice-Provinciae de Leopoli recensetur R. P. Kowalyk, nat. 18. S. 03, prof. 28. 8. 26, sac. 9. S. 32, def. ? 6. 41 Leopoli. Quoniam et hunc confratrem orientalis ritus, sicut Patrem Albertum Delforge<sup>1</sup>, cuiusdam martyrii aureola circumdat, profecto decet de tragico eius fine ex certa longiore relatione Pl. R. P. Vice-Provincialis Iosephi De Vocht, 13 X 1941 Leopoli Bruxellas missa, nonnulla cum omnibus confratribus tandem aliquando communicare.

Ad meliorem narrandorum intelligentiam haec historiae recentissimae facta in memoriam revocentur: Exeunte mense Augusto 1939 Germania (von Ribbentrop) et Russia (Molotow) secretam pactionem inierunt, vi cuius orientalis Poloniae regio concedebatur Russiae. Kalendis Septembribus Hitler Germaniae machinam bellicam contra Polonię movit « ad recuperandum Gedanum » (*Danzig*) et, Polonia mox devicta, prior pactio effectum suum sortita est. Sic Leopoli bolscevismus triumphavit. Die 22 Iunii 1941, festo B. M. V. de P. S., idem Hitler bellum contra Russiam incepit, et iam d. 30 Iunii milites Germani, a populo ut liberatores ovanter excepti, in urbem, interim a Russis derelictam, ingressi sunt. Atvero Russi, antequam abirent, permultos ob rationes politicas in custodia detentos necaverunt (ferunt fuisse in universum circ. 70 000), inter quos etiam P. Kowalyk fuit.

Hic confrater, quo erat proximi amore inflammatus, antea sub dicione Russorum suam huius linguae scientiam suamque singularem dexteritatem adhibuerat ad iuvandos quam plurimos et servanda ea, quae catholicis cara sunt. Saepenumero, immo nimis saepe, se conferebat ad palatium clarissimi Metropolitae Andreae Szeptyckyj, eius mandata excepturus, ita ut Russis appareret velut huius Archiepiscopi secretus commissarius et agens. Neque tamen obliscebatur se esse ante omnia sacerdotem; quare fere omni Dominica in aliqua ecclesia urbis vel locorum vicinorum verbum Dei annuntiabat. Festo Assumptionis a. 1940 Tarnopoli praedicavit ad innumerabilem illam multitudinem, quae undique eo, iuxta morem Ucrainorum catholicorum, convenerat.

Nocte inter d. 20 et 21 Dec. 1940 nonnulli viri « Comitatus Nationalis Negotiorum Internorum », vulgo N. K. W. D., duce quodam Iudaeo,

<sup>1</sup> De eo cfr. *Analecta XIV* (1935), 106-109; 129-131.

ad habitationem nostram urbis venerunt, miserum P. Kowalyk abducturi in captivitatem. Abiens cum lacrimis sui Superioris ultimam benedictionem et sacramentalem absolutionem efflagitavit atque obtinuit. Poterat secum portare opertorium ex lana et aliquot lintea ac pecunias, quamquam fere dimidia eorum pars ei carcerem ingredienti ablata est.

Diu omnes nostrae de sorte confratris investigationes irritae fuere, donec mense Aprili rescivimus eum Leopoli in carcere viae Zamars-tynowska degere. Post Russorum autem fugam duo testes omni fide digni, qui cum P. Kowalyk in eodem carcere fuerant et mortem aufugerant, haec de eo narrarunt:

Erant 32 captivi in cella 71, dimetiente  $4,20 \times 3,50$  m., absque lecto, sede aut scamno. Inter eos iacens, confrater noster suo tegumento etiam alios duos calefaciebat. Cotidie cum malorum sociis tertiam partem Rosarii recitabat et Dominica integrum Rosarium. Hoc die etiam preces Missae recitabat et mense Maio cotidie aliquod officium in honorem Deiparae. Festo Epiphaniae sui ritus fideles laetificavit benedictione liturgica aquae. Excipiebat confessiones, praedicabat, narrabat innumeratas facetas innocentias, sicut antea consueverat in recreationibus nostris, et sic cunctis concaptivis carissimus erat, etiam ideo, quod propter suam idiomatis russici scientiam interdum aliquod beneficium consequebatur, veluti situlam aquae.

Sex mensibus suae captivitatis vicies octies interrogatoria severa subiit, ter propterea abductus in aliud urbis locum, et semel dire caesus est. Semel in gravem morbum incidit, haemorrhagiam fortem passus, et in fine erat macie confectus.

Circumstantiae eius mortis plane ignorantur, quia duo illi concaptivi iam antea carcerem reliquerunt. Sic nemo eius cadaver vidit, nec P. De Vocht, qui d. 2 Iulii per breve tempus, caput munitus tegumento « Gasmaske », in locum terroris et foetoris intravit. A Germanis portae et fines trae carceris, letiferos flatus exhalantis, muris clausi sunt, postquam unum alterumve cadaver extractum et honorifice sepultum est. At de dilecto nostro confratre P. Zenovio Kowalyk habemus solacium omnium optimum in verbis inspiratis: *Iustorum animae in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis* (Sap. 3, 1). *Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna ... Non esurient neque sitiunt amplius, nec cadet super illos sol neque ullus aestus; ... et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum* (Apoc. 8, 14-17).